

X. De Sacramentis.²⁰⁵

Cum varie sit usurpatum sacramenti vocabulum, et in Scripturis sacris et extra Scripturas sacras, scilicet, ut significet mysterium, sicut Vulgaris Interpres in loco Pauli ad Ephesios quinto reddit sacramentum pro mysterio;²⁰⁶ Et diuus Hieronymus de libro Apocalypsis loquens dicit: „Tot habet sacramenta, quot mysteria“.²⁰⁷ Deinde ut significet omne opus a Deo mandatum, cui est addita promissio aliqua; praeter alias significationes, quas habet in genere: Nos in doctrina de sacramentis unam veram et specialem significationem vocabuli sacramenti concedimus 1.) ipsius vocis, ut sacramentum sit quasi sacrum elementum, id est sanctificatum seu segregatum in sacrum usum, iuxta in-[122:]stitutionem Christi, ut iam sit non corporis sed animae refrigerium ac stabilimentum, et datum et expressis verbis a Christo mandatum ac institutum. 2) rei, quod sacramentum sit signum diuinitus institutum, habens elementum, verbum, mandatum, et promissionem, hoc est, certum quoddam testimonium remissionis peccatorum seu reconciliationis, non ab ullo homine, sed a Deo institutum; habens externum elementum, ordinatum a Deo, deinde proprium verbum et mandatum Dei, pariter et promissionem gratiae, ut sit inuisibilis gratiae visibile signum, propter Christum et a Christo donatum, ac in Euangelio praedicatum.

Talia sacramenta duo tantum agnoscimus, baptismum videlicet et coenam Domini, quae primum iuxta institutionem Christi distributa, accepta et ministrata, certum elementum, verbum et mandatum habent: Deinde praedicatur in eis manifeste gratia et redemptio Christi, nec non vera fide, non sine poenitentia et resipiscentia, praesertim ab adultis acceptantur et exercentur.

Haec duo sacramenta Christus instituit, ut Euangelistae testantur, horum elementa suo ore signauit, verbum addidit, et mandato confirmauit; expressa est in his duobus sacramentis particula, remissio peccatorum, ut certo sciamus Dominum per haec duo sacramenta non solum augere suam communionem et in certam societatem colligare, nec solum operari salutem nostram, sed etiam confirmare fidem nostram, ne dubitet de gratuita Dei misericordia, de reconciliatione per Christum mediatorem, de remissione peccatorum etc., Sed habentes utrumque pignus et arbonem, certissime statuamus nos habere propitium patrem propter Christum. Ideo Petrus inquit Actor. II.: „Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum,“²⁰⁸ hoc est, in certum signum remissionis peccatorum: q. d. si poenitentiam egeritis et misericordiam Dei propter mediatorem Christum apprehenderitis,

²⁰⁵ Vgl. Augsburger Interim XIV, 73.75.

²⁰⁶ Eph 5,32 Vg: sacramentum, NT graece: μυστήριον.

²⁰⁷ Gemeint ist wohl die Stelle aus Brief 53 (103) des Hieronymus (Ad Paulinum de studio Scripturarum), wo es heißt: „Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta quot verba“ (Hieronymus, ep. 53,9, in: PL 22, 548f; CSEL 54, 463,9f). Hieronymus verwendet an dieser Stelle ‚sacramenta‘ als Synonym für ‚mysteria‘.

²⁰⁸ Act 2,38.